



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 33. Ximenius votis damnatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

pam instabat, ut ille non solum potestatem Commissariis antea ablatam restitueret, sed etiam ex speciali mandato Gienensem Episcopum in Andalusia & Catanensem in Sicilia Pontificis nunciam tanquam socios Archiepiscopo adjungeret, qui collatis viribus hoc negotium deciderent, dempta ad iudicem superiorem provocandi libertate.

Sæcul. XV.
A.C. 1498.

§. XXXIII.

Ximenius votis damnatus.

Nihilominus Fratres Minores mandati tabulis sequentem conditionem sedulo inferi curabant, nimirum, ut Commissarii jussu Pontificis per semetipsos litem dijudicarent, nec eis integrum esset, alios subrogare. Hæc clausula crebris difficultatibus obnoxia erat, quas Archiepiscopus probe animadvertens Pontificem datis hac super re literis admonuit, prospero adeo eventu, ut Alexander revocata clausula Commissariis, si forte per seipsos agere præpedirentur, alios pro arbitrio substituendi facultatem concederet. Ea obtenta, mox Archiepiscopus negotium ex integro resumere cæpit, tamque indefessa sollicitudine reformationis negotio operam suam impendit, ut re feliciter ad exitum deducta, restauratæ disciplinæ leges firmissime corroboratæ

Sæcul. XV.
A. C. 1498.

fuerint; cunctis enim, quæ bene cæpta, quo minus tractu temporis subsisterent, impedire poterant, tanta solertia præcavebat, ut ab eo salubriter instituta hodieum sua firmitate constarent. Præterea die vigesima tertia Junii hoc anno ab Alexandro Papa diploma impetravit, vi cuius tanquam Sedis Apostolicæ Commissarius potestatem accepit, ut Ecclesias exemptas, necnon Apostolicæ Sedis Officiales in sua Diocesi existentes ordinariæ suæ jurisdictioni subicere, ac cuncta, quæ ad Ecclesiæ suæ bonum necessaria judicaret, libere disponere posset.

§. XXXIV.

*Galerus ac gladius benedictus a
Papa Angliæ Regi trans-
missus.*

*Bacon. hist.
Regni Hen-
rici VII.*

Interea summus Pontifex, ut Henrico VII. Angliæ Regi suam in eum benevolentiam testaretur, Oratorem decrevit, qui galerum, ac gladium solemnî precatione sacratum nomine Pontificis Regi perferret, quod munus tum temporis luculentissimum erat summi honoris pignus, & quamvis jam olim Innocentius VIII. eundem Regem tali obsequio honorasset, nihilominus Alexander Prædecessorem suum tam muneris pretio, quam simul